

QK. 271.39 A

Pa

X 2121539



PETRI NASTVRTII  
IVDICIIVM  
DE  
IVDICIIS,

QUAE

IN NOVISSIMOS CIVILIS  
PRUDENTIAE SCRIPTORES

EXERCERE VOLUIT

EVB. THE. SARCMASIVS.

ACCESSE RUNT DUAE EPISTOLAE EJUS  
DEM ARGUMENTI.

1890/91: 197.  
COLONIAE,  
M DC LXIX.



PHYSICIAN  
M.D. GILMAN

D. B. GILMAN  
PHYSICIAN

PHYSICIAN  
PHYSICIAN

PHYSICIAN

PHYSICIAN

PHYSICIAN

PHYSICIAN

PHYSICIAN

PHYSICIAN

PHYSICIAN

PHYSICIAN





Q. B. F. F. Q. S.

**P** Rincipio scias velim, cordate lector, quicquid hujus est quod legis, non jure tantum, sed & optimo, scriptum esse. Etenim non solum pietate & usu publico flagitante, ut propediem perdisces; sed & cum bona venia superioris, & cujus interest maxime, scriptum est. Non eam judicandi potestatem nobis sumimus, ut quidam, sed accepimus. Quippe licentiam fecit is ipse scriptor, de quo scribimus, sicut ille de scriptoribus scripsit; vir hercule magnus atque prudens, ut qui *Eubulè* nomen sibi vindicet, idemque summus rei literariæ h. t. arbiter. Nec exemplo tantum fecit (quamvis hoc utique sufficeret) sed etiam disertis verbis. Ecce summam privilegii: *Non refragabor, inquit, nec me anget, si cædem in me, qua ego in ipsos, censoria uti virgula cæperint.* O virum æquum & fortem! ò modestiam insperatam! Subjicit se censuræ censor, & magister virgæ. Ecquis jam dubitet, citra ullam injuriam (quippe quam detestatur) læsos, quos læserit? cum & ipse notam censoriam haud refugiat. Quis enim neget, merito passurum colaphos honestum virum, si & nebulo (immo vir, inquam, honestior) pati sit paratus?

Equidem sunt qui putent, miram hominis sagacitatem providisse, quam sit lata facti consequentia, & metuisse suum exemplum: cum præsertim nemo justius pertimescat tempestatem, quam qui concitavit. Neque enim commissuros viros doctos, ut inauditi ac indefensi ex arbitrio calonis perire, & vivi videntesque exenterari impune velint. Igitur ne imprudenti dolentique accidere videretur, quod conscientia denuntiabat, ultro largitum, quod prohibere nullo jure poterat. Emunivisse tamen opus, antepositis vocabulorum prodigiis, ut *Albipoli*, ut *Sarckmasio*, ut *Theofdato*: quorum formidabili aspectu statim à limine doctiores rejiceret. O Jupiter centumpeda, quanti est sapere? Aliis è diverso pignus hoc videtur hominis vel stolidissimi, vel

longè impudentissimi, vappæ quidem extra controversiam. Quare enim, si noluerit latere, tantum adierit famæ periculum, ultra arrogantem libertatem sæpe procax, & quamvis sub diversa specie malignus Zoilus? Sin voluerit, ut quidem simulet, cur tam sententiose suam inculcet mansuetudinem? ut si quis prædo profugiatur---*ultra Garamantas & Indos*, relictis post se literis, ad eundem in jus se quidem paratissimum. Aut cur non accuratius saltem fefellerit? Nam & illis ipsis vocabulis, quæ pro larvâ sibi ut plane convenientia induat, suo & loci nomini alludere videri; & plura vestigia, per ipsum opus, ad belluæ speluncam ducere. At non Cacum, qui similiter truciore incendia vomuerit, eo dementiæ progressum: cuius astu versis viarum indiciis,

*Quarentem nulla ad speluncam signa ferebant.*

Immo scriptoris verum nomen prope citius aures, quam scripturam febricitantem oculos subiisse. Quibus rebus quid aliud, quam vel hirsutas & æquo longiores auriculas nudari, vel infamiam (*cujus apud prodigos, ut ille ait, novissima voluptas est, & cujus laudem olim quidam scripsisse memoratur*) ultro affectari? Nec eam tamen fortassis absque omni gloria creditam fore: quatenus, si quid in ipsum ederetur, jactare posset, sibi id datum, & se dignum habitum, in quo viri docti molarem frangerent. An eo factum, quoniam, ut Vitellius dicebat, *ἡδίστα τὰ μετὰ κινδύνον ἐπιχειρῶντα* *dulciora furtiva cum periculo conjuncta*? Ideo forte locum Vellejanum chartæ Volusianæ titulo, quasi per ludibrium & lasciviam, allitum, *Vivorum ut magna admiratio, ita censura difficilis est*. Nam hunc locum, hoc exemplum, quod facile quemvis sanum permoveret, cur non menti potius, quam paginæ, inscripserit? cur aperte damnaverit tam grave præjudicium? Promissam certe censuram de musteis nostris scriptoribus. Quid commerita vetustas quoque in hunc reorum censum veniat? Equidem Vellejum huius Aristarchi conatui in tantum adversari, ut nec defunctos ævi sui scriptores Principes, nisi timide, laudet, cum proœmio, *Pene stulta est in hærentium oculis ingeniorum enumeratio*. Quid judicasse censes de enumeratione hominum corporeis oculis in hærentium? Vbi ergo illum, qui tam animose scripserit, *nullam esse rationem*, quæ id, vel eo deteriora, prohibeat?

Sed

Sed quò tam scrupulosæ, amabo, ineptiæ? Non est dictato-  
ris nostri bonitate per malam gratiam abutendum. Exerceri  
in se, quæ prior in alios meliori jure statuerat, vir optime sibi  
consciis sane patitur, permittit, monet, cogit. Sed non vides,  
lusce, cum passim, tum in ipso argumento, prudentissimam ho-  
minis moderationem, & humanitatem singularis prorsus exem-  
pli? eandem scilicet ab aliis expectat, orat. Quanquam, ut idem  
Vellejus alio loco notanter ait, *Exempla non ibi consistunt, unde  
cæperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime eva-  
gandi sibi viam faciunt: & ubi semel recto deerratum est, in præceps  
pervenitur.* Nos tamen, ne inimicum nobis faciamus tantum  
magistellum, concessio jure parcius utemur. Breviores erimus  
modestioresque, quam necesse est: ac ne eam quidem potestatem,  
quam ipse offert, totam usurpabimus. Non tangemus personam,  
& præsentiam famæ derogantem, aut vitia occulta, dubia, tanti  
non futura, ad rem nihil pertinentia: intra limites rerum atque  
scripti, quod procurandum suscepimus, persistemus. Nec, quo  
veritas non pertingit, mendacio grassabimur, aut cum laude tri-  
buemus illi, quæ dixisse nusquam reperiatur, & fors dicere nollet.  
Probabimus etiam, quæ dicemus: nec erit nobis voluntas pro ra-  
tione. Nam ut Resp. leges, sic Parnassus rationes exigit. Atque  
in primis viri nomini, ipso vel invito, parcemus: licet ille, quos in  
ordinem redigit, diserte nominet, ac in medium longe recusantes  
protrahat. Id adeo nullâ æmulatione aut livore, puta ne as-  
fuetum tenebris nomen, & alto scholæ pulvere sepultum, eden-  
do illustretur; sed quoniam ipsi expedit. Nam verendum, ne,  
si in aperto jaceat, quis istos ludos dederit, aut quis ille homuncio  
in tantos homines (quorum ipse magnitudinem & violentiam  
agnoscit) consurgere haud vereatur, & unus omnibus congregi,

*Ense levis nudo, parmaque inglorius alba;*

missellum obiter conculcent elidantque, ut leo ranam, aut Pyg-  
mæos Hercules. Non è re semper est *magnis inimicitiis velle cla-  
rescere.* Quid quod (ut sunt ingenia) in illud nomen ejus, ubi  
primum audierint (modo linguâ tam spatiosâ & validâ utantur,  
ut pronunciando sufficiant) frigida multa volent ludere.

Dignum esse patella operculum : apparere, natum plane hominem ad ineptias, & confusionum monstra, & culinam potius quam museum : & alia his, credo, inficetiora. Breviter, lateant, quæ latent. *Bene qui latuit, bene vixit.* Quod haud falso jactari, Sarcasinus Censor multis jam persuadet.

Et quoniam videmus, totam næniam in duas partes discedere, in ea quibus certos τῶν πολιτικῶν scriptores videtur ornare vel purgare, & in ea quibus collutulat ornatos; *regis ad exemplum* nos quoque & laudes ipsius, & vitia lustrabimus. In laude ponimus, quod fatetur, nullo odio, vel *suspensione odij*, adductum, ut scriptoribus rerum civilium stigmata imponeret, simulque ipsorum controversiam unam & alteram obiter definiret. Quid enim causæ, cur odisset, incognitos sibi plerunque, aut cognitos certe beneficio? Amore scilicet potius tantorum hominum, & sapientiæ civilis, quo magis hæc in posterum excoleretur, talia coactum edidisse, credibile est. Deinde testatur, nec *invidia emulatione*, nec *cupidine ambitionis* (quæ est Tulliana hominis facundia) se censorium hoc tribunal occupasse. Nam & horum causas procul habet. Nec invidet, nec invidetur. Nec invidia statim est, uno & altero modo viris præaltis detrahere, & castigare luxuriantem famam, dum modo vicissim aliquid stultitiæ tuæ illis addas: nec videtur ambitio, invadere eorum locum, & judicis in judices munus. Quid ergo? ad divinas causas, puto respiciendum est. Biceps Parnassus cogitandus, in quo somniasse se noster somniavit. Inspiratum à Numine tam probum atque felix consilium; ab eo scilicet, quod solet talia, ab *sapientie satyricæ arbitro*, *Apolline*. Nam ad hujus sacramentum noster transit: ut intelligas, cum se *Theofdatum* (ex *Theofoto* corruptum) Græculus appellat, cujus Dei munus admiratorque haberi postulet. Sed adulatorie forsan, certe poëtice, hoc decet accipi. Eruditio quippe nimia, & profunda sapientiæ vorago, expressit homini, quod fecit. Omnes ita crederent, nisi ipse reclamaret. Eas enim partes sibi impostas narrat ab Apolline, *quas sapientissimus quisque, ut opinatur, declinaret.* Quam bene verò fecisset, si suo judicio esset usus! (Nam cum postea dicit, *nullam rationem tali prohibere*, alienum scilicet

judicium

judicium sequitur.) Nunc & Apollinem, talia per somnium mandantem, quæ sapientissimus quisque declinaret, & Scribam ejus, in talibus superstitiose obsequentem, *amore scil. parendi* (servum naturâ diceret Philosophus) stultum videri necesse est: & emergit tandem genuina hujus incepti causa, ingenii clauditas. Quorum omnium confessio, nec extorta, nec contorta, certe ingenui hominis argumentum est. Et hoc unum in Saturio nostro laude dignum repperi.

Ad vitia pergenti, ingens aperitur spatium. Sed in angustum contrahendus est sermo, & per saturam quædam (pace tamen viri, quem nollem offendere) repræsentanda. Primum ac præcipuum, quod in tanto critico desideratur, est judicium acre, firmum, & exactum, in scriptoribus colligendis, distinguendis, comparandis, collocandis. Heu quam ægris oculis, si non felicitatem illorum, certe cutem intropicit, ex libris perfunctorie lectis, ex rumusculis temere collectis! Reticet memoranda, ut aliena, reticenda memorat cumulatque. Quæ facile omnes sciunt, aut non curant, inculcantur sedulo: de ulterioribus per omnia & singula altum silentium. Nonnulla excerpuntur tantum, & excerpendo polluuntur. Scilicet tuta umbracula & *secessum* amat: & si quando evehit cogitationes suas inconditas jubet, tam confuse, prave, immature, absurde, & inique fere sentit, ut antiquum illud judicium reddi putes, quod factum est de cantu cuculi & luscinix, prætoris asino. Immo, ne quod sanæ mentis vestigium appareat, secum ipse præliatur. Videas concurrentes inter se Symplegadas, id est, orationem dantem, quod esset ademptura, ac reddentem, quod ademerat; denique, si proprius consideres, viros indubitate summos doctorum numero prorsus excerpentem, ut nugatoribus & commentariensibus inserat. Analytica demonstratione hæc & multo plura firmari singulatim possent, si hoc quidem æquor ingredi placeret. Et præterea nos non sumus Apollini à secretis: nec Minerva nobis dixit in aurem, quæ imperatura esset scripto publicare. Liceat aliquid Sarcasio quod hominibus de plebe & junioribus Sapientiæ alumnis non licet. Interim caute accipie fecerit, qui nihil hodie ei crediderit. Non est

est enim opus ; ut Apollineis vatibus habeatur fides,  
 Illud exquirere fas sit, cur omnino, vel ex qualibet occasio-  
 ne, & privati & publici scriptores juris, non secus ac politici, ob-  
 torto collo trahantur? cur Monzambano locus in hoc ordine, &  
 mox alius Puffendorffio, ceu diversis, datâ operâ tribuatur? an ut  
 latior esset sævitix campus? an civilis forte sapientia, & prudentia  
 legum, & doctrina juris universalis, & notitia status Germanici, &  
 historia, & aliæ quoque disciplinæ remotiores, sublato pariete in-  
 tergerino, idem pulvis factæ sunt? Certe (regrediamur modò  
 in memoriam) *judicia de civilis prudentia scriptoribus*, non plus  
 minusve, sunt recepta. Jam vero, *esse quid hoc dicam*, quod *judicia*  
*de scriptoribus* minatus, prout dictum, vitas quandoque texit, è  
 critico repente historicus, interdum & hariolus? & quid non? vel  
 quod de iisdem narrans, quæ in aliis disciplinis essent conati, bene  
 aut secus, mox cum de *Dissertationibus Politicis* differendum,  
 quod tantâ patientiâ expectabatur, improvise receptui canit, *se-*  
*que ex oculis avertit & aufert?* ut si quis pollicitus de Metaphy-  
 sics judicium, multus esset in percensendo, quæ in Logicis, Phy-  
 sics, alis, varii doctores prodidissent; ubi vero ad Metaphysica  
 & apicem votorum ventum, revocaret eum intempestivâ maligni-  
 tate — nunc augur Apollo,

Nunc Lyciæ sortes, nunc & Jove missus ab ipso

Interpres divûm, — —

ut sola remanerent aliena. Sic deludenti corvi hiantes. Erat &  
 curiosus quidam, qui explicatum sibi vellet à scriptorum novissi-  
 mo, quot annorum ambitus scriptores *novissimos*, quive regio-  
 nis tractus *domesticos*, & an solos vivos, seclusis, mortuis, compre-  
 hendere deberet: ut sciretur, an neminem præteriret vel intrude-  
 ret censura egregia (sicut multa ex præsentium scriptis essent præ-  
 terita, multa infracta) an item per occasionem tantum, an seor-  
 sum & justo loco fuerit tradendus & quæ sunt similia?

*Perge ira, perge: & magna meditantem opprime.*

Qui cum fateatur, literatorem à prudente, scholam à vitæ nego-  
 tiis differre; quæ (malum) intemperix, ut à schola literator de  
 prudentibus rebusque civilibus judicare sub formula ausit? ut  
 qui



qui ista legat, clausis naribus, a selam quendam aulae promissis  
 credat. Si pro deridiculo illi est, Theologus Politicum referens,  
 cur refert? Si criticum genus tincis & blattis laborat, non bono  
 publico, ut clare rudit, cur tanta gaudia tincis affert? cur se to-  
 ties sub aliis nominibus crudelis tancinat? cur otio & literis ab-  
 utitur, & officii fines transsilit? An haec praecipit Theologia, &  
 qua ille gloriatur, conscientia? Longe alia quidem tradunt libri  
 vaticini, si quis esset qui curaret: & ipse ex medio legum civili-  
 um, nescio quo suggerente, *Culpa est immiscere se rei ad se non per-  
 tinenti.* Si quem vel concessae dotes, vel muneris ratio, vel im-  
 perium principale, ad scribendum invitat, obsecro, quid id ad  
 Magnum Moscoviae Ducem? An hoc de illo merita est regina  
 artium, prudentiae civilis, & qui de ea optime meriti? his lau-  
 reis, his statuis decorantur? his excitantur stimulis? An ideo  
 divinitus nobis contigerunt disciplinae, ac dotes eximiae, ut  
 Sarcasii, & hoc exemplo aliorum, immundo contactui pate-  
 ant, ac deinceps in cautis aemulisque, & praesertim auditoribus  
 (pronis enim auribus talia accipiuntur, etiam a melioribus &  
 gnaris, & infatuari multis dulce est) ludibrium debeant? ut in-  
 ter viros doctos invidiosae comparatione discordiarum & irarum  
 femina jaciantur? Equidem augurari cogor, ni mature occur-  
 ratur malo, a Politicis ad Theologos (uti sane coepit) vel potius  
 a Politica ad Theologiam, & quicquid sancti eximiique habent  
 literae, contagium pervasurum: ne videlicet *vel domi vel foris,*  
*quisquam huic sorti se exemptum possit gloriari.* Neque enim tam  
 Politicorum, quam Politices certe jugulum petit, doctoribus  
 ejus, summis infimis, promiscue nota publica insigniendis?

— — & quisquam numen Junonis adoret

Præterea? aut supplex aris imponat honorem?

Quis virorum, non dubie literatissimorum, usus est unquam  
 simili licentia? Ne me celes, quaeso. An, quia novam, ideo &  
 bonam credimus? Satis foret immodestiae, si cui simili privatim  
 & absque sanis talia aliqua exciderent. At hic bonae famae fi-  
 carius (praecor, Domine, ignoscas verbo: commorat me non-  
 nihil, quod eam popularibus sortem objecisse te crepas, quam  
 effugere sit gloria) hic, inquam, bonus vir disseminat voce pub-

B

lica

licâ, præconis instar, ut omnes à furno redeuntes sciant, & quidem scripto, ut memoria maneat, *si qua fata sinant*, & censuræ jungit satyram. De Monzambano censet (rationem non quæro) satyram palmâ ipsum fraudasse, quam ex *novitiis* ingentem ferre potuisset. Itane de Satyra tu censes in satyra? sed hoc non est mirum, quia tu es magnum virum.

Parum dixi: & censurâ & satyrâ pejus quiddam inventum est. Nam censura, optimis ac peritissimis in rep. debitum munus, & à rep. in subjectos rite conferendum, discernit homines. Laborantes famâ varie castigat, florentibus parcit, in eosque plane cessat. Ac hic tyrannus, ipsius judicio probatissimis notam censoriam inurit, & acrius quam aliis incumbit: & quamvis ea, quæ judicat vitiosa, *tanti non sint, ut propterea summam in rebus civilibus partam famam suggillare cuiquam integrum sit*; tamen, quasi esset integrum, credo veritus ne palpari videretur, si non flagellaret, profert ac suggillat; causatus etiam, *nostrisæculi more* id fieri. Mentiar, si non fas & pudor & numen & conscientia merus Theosdoto ludus sunt. Ecce, defunctorum manibus parcendum putat, qui nihil sentiunt, de quibus judicia vulgari non omnino moribus adversatur: ideo haud parcendum vivis, qui sentiunt. Nec defunctis tamen aliter, quam vivis parcit; ea delicens, de quibus haud sane gloriantur, & mox, consumptâ libidine, pius ac sententiosus. Quid tibi videtur de istoc homine? Necdùm satis: copulandi erant (nam institutum suum, ne falleremur, ipse enuntiavit) Catoni Satyri, novâ & egregiâ mixturâ. Speculabimur tamen paullisper, si molestum non est, quam belle saltent isti Satyri. Jam primum Satyra, ridens verum dicit: noster fingit sibi vitia, & semet aliis ridendum bibendumque propinat. Dicit (qui vult audire, quod omnes Plautinos sales superet, auscultet) dicit, defendisse eum jus faciendi homines proprios (tanquam id in lite fuisset) cuius *vindicias* secundum libertatem quorundam, & quidem *vindicatas*, ipse in margine nominat; ut inde colligat factum odiosum. O Satyrifam! Quid respondebit viro, de impacto sibi præfaricationis crimine conquesturo? & quid illi alteri, qui hujusmodi jus defendit? & quid illi quoque, cuius causam in defensoris

Foris reprehensione Sarcasius damnavit? Nimirum Jovem lapidem iurabit, nunquam se vidisse scripta illa. Sic iudicandum Apollinis afflatu de scriptoribus, simulque de principibus maximis. Porro satyræ certus & utilis finis proponitur & custoditur: huius satyræ nulla apparet ratio, nullus certus tenor. Quin deterret potius à civilis prudentiæ culturâ, quàm allicit, quod deberet:

— — — *ut pueris olim dant crustula blandi  
Doctores, elementa velint ut discere prima.*

Lucillius, & huic affines veteris comœdiæ scriptores,  
*Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,  
Quod mæchus foret, aut sicarius, aut alioqui  
Famosus, multa cum libertate notabant.*

Noster è contrario sæpicule

*Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

Lucillius, Horatio laudante, erat *numerus facetus, & amuncta naris*. Per fidem, quisquis intellectu vales, miserere inscitæ nostræ, & in Sarcasini satyra vel micam sabis iudicii que ostende. Satyra non professo impetu, & nudo velut capite, nec in quo suis, incurrit: nec una strage totum aliquem reip. ordinem involuit: non inhiat vitiis mediocribus & paucis: immo id ipsum vitium erit, pro conditione mortalium, si, ut Flaccus quoque sensit, princeps satyræ,

*Egregio in persos reprehendas corpore naevos.*

Nam quis sic reprehendenti satis credat? deteriori de meliore? Atque adeo Varios, Virgilios, Octavios, pura fide laudat, absque labis aspergine, haud ignorans, quædam in sese deformia, in certis corporibus servire formæ. Sunt &, quos vereatur, quibus aridere, & pacem pro virili sartam tectam velit. Denique, ne confundas satyram cum famoso carmine, Satyricus est, *si quis*

*Opprobriis dignum laceraverit, integer ipse,*

& si vitia magis quam homines sibi proponat. Quæ omnia, nulli inficianda, quàm generose contemserit meus homo, palam est. Cumque & in honestatem, & in utilitatem, & facultatem maxime, toties in hoc negotio caput inpingat, ac plane frangat;

tamen, ubi spiritum collegit, Nulla, inquit, ratio est, quæ talia prohibeat: sic enim certe opinor. Et tamen multo peiora in animo retinuit, quam evomuit. *Nefas est, ait, omnia quæ sententiam, loqui.*

At enim *amarus cibus est veritas.* Ideone eam loqui nefas? Deinde, cur usque eo, & passim alias, cibum ita amarum apponis? aut cur *studio veritatis* iudicia illa tua imputari vis? Quod ne diutius mihi ingeras, tuis tibi verbis respondeo, tibi, inquam: *Paucissimi veritatem capiunt, pauci cupiunt, plurimi oderunt.* At enim *in libera literatorum Rep. liberæ linguas esse oportere,* scribit *Suetonius in Augusto.* Equidem ego ita me hæctenus instruxeram, ut quasi cum olente scholam, & firma ratione destituto, agerem. Nunc, quia tantâ insurgit ratione, & remp. literaturæ miscet, — *paullo majora canamus.* Primum omnium, codex meus nihil habet de Rep. Literatorum: nec Augusto, sed Tiberio tyranno (cap. XXVIII.) ejusmodi dictum tribuit. Papæ, mi homo, ubi erat mens tua & Apollo, cum hæc scriberes? Dic vero sodes, cur & historicos contaminas? cur das, adimis, mutas, uris, secas, ad libitum? Sed hoc non est mirum, quia tu es magnum virum. Nec tamen exposui, quam scite *Tacitum* (ut legisse videretur) testem laudaverit. Interim (quo magis intelligat, cur secum habitare debuerit) esto, dixerit tale quippiam aut certe fecerit Augustus apud Suetonium. An hoc dicto legem præscripsit, ut omnis arcani violatio, omnis omnium reprehensio, dum verum dicas aut credas, permissa sit? ut omnia linguæ peccata tollantur, excepto mendacio? etiam in iudicio conscientiæ? ut censure munus sit promiscuum, id est, nullum? Non ergo sentit pecus, quo sensu dictum id, civilitatis simulans, accipiendum? Non legit in Tacito suo, *quamvis egregiis imperatoribus modum libertatis placere?* Nam & in rep. liberrima, & literaria, non cuivis quævis dicere, ne dum scribere, fas est aut decorum. Aliter quid opus legibus & institutis? Ponenda est libertas, quæ stet cum republica, non quæ eam tollat. Sed nempe *libertas & speciosa nomina prætexuntur: nec quisquam alienum servitium, & dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet.* Ac falso libertatis vocabulum obtenditur ab iis, qui privatim dege-  
neres

*neres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habent.* Jactavit olim musca:

*In capite regis sedeo, cum visum est mihi.*

Sed quid ad hoc formica?

*Superba jactas, tegere quod debet pudor.*

Atque ut musca non impune illud facit; sic præcepta legum & artium sui contemptum, Sarcasio teste, vindicant. Quid multa? interpretem dicto demus ipsum dicti authorem scriptoremque: *Adversus CONVITIA, malosq; rumores, & FAMOSA de se ac suis carmina, firmus ac patiens, subinde jactabat: in civitate libera linguam mentemq; liberam esse debere.* Annon ergo, si conveniens est hic locus, scriptum Sarcasii *convitium & famosum carmen* credi necesse erit?

*Exequias Chremeti, quibus est commodum ire, hem tempus est.*

Nam quàm prave & contra se ipsum vindicaverit sibi locum Chremetis Terentiani, *Homo sum, humani nihil à me alienum puto,* nil prorsus dicere attinet. Satis est semel, studio prope nimio, Chremeti exequias ivisse. Adhuc ergo nihil rationis in ejus scripto conspicitur.

Quid igitur tandem de foetu isto, sic jam deplumato, judicabimus? quod nomen quamve sortem ei assignabimus? Judicialii, quod volent: laudent etiam per me, qui nihil vident. Ego non possum amplius dubitare, esse malum quiddam, & portentosum, & famosum omnino carmen liberali facie (non, quod author obtendit, *animo*) eoque deterius, & ad minimum bestiis objiciendum, blattis ac tineis, ex lege nostri Lycurgi. Qui rectius sane fecisset, si loco laboris hujus, utiq; non necessarii, quemq; à Germano profectū haudquaquam confitendum est, vel cucurbitas pinxisset. Adeone trita jam omnia & exculta, ut nihil vel in sacris, vel (quoniam huc propendet curiositas) in civilibus hiet, quod impleri desideret? unicum hoc argumentum satyricæ sapientiæ superfuit? Sed cui hæc dico? aut cur levissimæ scripturæ excutiendæ tantum chartæ & temporis infumo? Age ergo, Satyrisce, ad te nunc convertor. *Quo diversus abis?* Siste fugam, inquam, & percipe, quid loquar. Si quis Stereometriæ imperi-



ritissimus, in complurium civium honestissimorum cellas petu-  
lante vi irrumpat, & quantum vini accerevisiæ doliis continea-  
tur, digito metiri tentet, inde in forum ruens, de opibus ac pe-  
nuriâ cuiusque pari maledicentiâ publice declamitet; an inju-  
riam, quæso, credis accepturum, si abstractus foro digne multetur,  
& aliis exemplum fiat? Quandoquidem igitur censoria mihi  
munia in te concedis, qui simillima commisisti; **BONUM  
FACTUM**, meritâ ignominiâ, quam aliis intentaveras, te  
noto, Senatu & Consulatu Reip. Literariæ quem per furorem  
invasisti te moveo, &

*Discipulorum inter jubeo plorare cathedras,*  
silentium deinceps perpetuum in his atque talibus serio tibi in-  
jungo. Si recalcitaveris, aliæ graviores poenæ, in Imperio re-  
ceptæ & sancitæ, te docebunt, quænam lex talia prohibeat: &  
larva simul atque pellis, sicut Marsiæ, tibi detrahetur. Dixi.

F I N I S.

---

## EPISTOLA I.

*Ad Generosissimum D. B. P. F*

**Q**uid rerum his locis geratur, ut strenue perscribam, soles mihi idem-  
tidem imperare. Substituam in meum locum, alium; qui hoc fun-  
gatur officio. Libellus enim, qui cum his literis ad Te venit, Ca-  
tius enarrabit jurgia Codri. Scripsit eum T. Antimorus, notus Tibi, nec  
ingratus amicus. Sarcasmus quid hominis sit, jam nosti. Communi  
L. & J. W. que elogio Schurzfleischius ille audit homo, vana opinione eru-  
ditionis infatuatus, ingenio maligno, & inter imperitos doctus, inter do-  
ctos stultus. Exempli pessimi facinus, quod instituit, putant nonnulli,  
non sine occulta instigatione aliorum patratum. Sed nec instigatoribus  
quisquam sanus paruiisset; & mihi parum credibile videtur, bonos ma-  
gnosque viros tam fatuo impudentique scribendi genere ad alienam famam  
suggillandam uti voluisse. præcipuum sine dubio incitamentum homini  
fuit λιμοδοξία, quam ipsi insatiabilem tribuunt. Si quid amplius scire cupis,  
non deerunt Tibi, quos illis locis habes, viri docti, & Tui amantissimi.

Vale. N. 28. Febr. 1669.

T. G.

obsequentissimus servus.

V. M. O.

Par-

*Parnassus infamis*

**E**Volavit nuper ex Mysnia famosus libellus Schurzfleischij cujusdam, Corbacensis pridem exrectoris, hominis revera studiosissime nequam; qui vanissimæ arrogantia & ambitioni explendæ, non aliud ad famam iter sibi patere existimavit, quam per infamiam illustrium virorum. quos licet in solidum ignoret; allatrare tamen constituit *Sarckasmus* ille Caninum frenans, sive ut Atticæ elegantia specimine se vocat, *Sarckmasius*. Nam cætera nomina ascita, non magis ei conveniunt, quam Parnassi, Minervæ, Mercurij, Apollinis: quibus vocabulis, quæ aliàs significari solent, tam sunt Schurzfleischij ingenio apta, quam est Asino Lyra. Musæ albis accola, vestram fidem! Hercules tuam fidem! Estne apud vos Parnassus tam infamis: ut omnia studia & opera Parnasso tribui solita in contrarium illic verti, & in injuriam commutari, vobis inspectantibus, Germania sentiat? an ibi erigitur tribunal, in quo judex sine judicio, sine officio, sine jure, dente Theonino, vel uti per furorem, famam alienam lacent, & Satyram scilicet moliat, omnis Satyricæ sapientia rudis & nescius? An Apollo vester asino exuvias leonis, aut morioni honestatis speciem imposuit; ut livorem & injurias pleno sacco, quasi sub titulo doctrinae, & nobilis mandati, longe lateque disseminaret? Magna fuit licentia, neque cuiquam bono absque discrimine probata, qua Italus ille, miseram sibi denique ipsi perniciem attraxit. Sed erat tamen in eo ingenium, erat peritia rerum non exigua. At, qui vestro nomine in scenam prodit historio, omnium & rerum & hominum imperitia laborat, ut pudori vobis merito esse debeat, si nomen vestrum tam prodigioso impostori accommodari sinitis. Quis vos aliquid divini habere credet, si contra omnis honestatis primas regulas, in eos, qui vos nulla injuria affecerunt, qui vos coluerunt, ornaruntque, quantum potuerunt, immittitis feram bestiam, veluti rabitum canem in gregem innocuum? Aut, si quis est in hoc tam atrociter quasi vestro jussu læsorum numero, qui vos prior læsit, quod non credo, an alii innocentes copulandi fuerunt? Quis in Parnasso vestro, aliis numinibus, quam Contumeliae, & Impudentiae Sacra fieri putabit? si Apollo flagitia præcipiet & Sycophantas non finet modo circa famam honestissimorum hominum vagari, sed jubebit? Non quidem *l. 5. C. de minus crimine, sive atrocium injuriarum judicio tenetur is, qui injustam accusa-* Accus. & *tionem incidit, qui adicit alium se hujusmodi facti mandatozem habuisse. Nam-* inscr. *que hoc casu, præter principalem reum, mandatozem quoque ex sua persona conveniri posse, ignotum non est.* Cum & de pauperie facta, dominus animalis noxii conveniatur Mallem omnia alia credere, quam hæc vestro auspicio facta. Sed excusare vos volenti reclamatione proditor vester, idemque calumniator non minus Parnassi vestri, quam omnis boni moris, dum quæ maxime colitis illustria nomina, ultro suo facinori præscribit, iisque tanquam

In Con-  
ring.

quam rem bene gestam approbare publice non veretur. De typis porro de loco impressionis, aliisque ad notitiam criminis pertinentibus, omnia tam sunt manifesta, ut valde verisimiliter noscantur, quibus sola spes & voluptas ex eo quaeritur, quod livor & optimi cujusque obrectatio pronis apud vulgus auribus accipiuntur. Nomina invadit plura Schurzfleischij furor Criticus; sed Bœclero hoc super omnes eximium praestat, quod ab initio, & in medio, & ubique eum calumniatur. Permera id quidem mendacia. Quid enim Bœclerus *de avi nostri Papyrio identidem satis confidenter affirmaverit*, sponcione certare ausim, si vel ipse Bœclerus sciat, vel ex ipso quisquam: nisi qui cum Schurzfleischio in Parnasso infami somniasse se, forte somniaverit. Non est parcus laudator omnium eruditorum Bœclerus: Sed in peregrinum & alienum habitum ejus verba detorquere, nemo sanus instituat. Sed Conringius scilicet non potuit laudari, nisi *Limneo, Goldasto, Carpzovio*, aliis convitium fieret. Tabori quoque, quanquam nondum mortuo leoni, lepus Albipolitanus, ut se vocat, insultat. Quantâ infaniâ! Res pridem sepultas, & longe alio quam furiosi calumniatoris tribunali dignas, ab orco, qui ipsi Parnassus est, revocari, Albipolis, ut Schurzfleischius promulgat, patitur, & typos ceteraque subministrat? Interea dum rictu canino pluribus inhiat Criticus furens, felicem se Conringius praedicare debet, quod dissertationes ejus politicas commentario prosequendi otium non invenit fatagens Cynicus. Cave, mi Hermanne, *μωρὸ πλῆθυν.* Quid enim moliatur hoc monstrum, vides, cum Apollinem agere incipit; qualia in *μανία* multa solent accidere: & *πολυπραγμοσύνην* Tibi, ac *imperum erga innocentes*, verissima nimirum morbi sui nomina exprobrat. Aurigine infectis omnia flava apparent: phrenetici sui ingenii notas in aliis se videre putant. Non possumus ergo Tibi gratulari, doctissime mi Hermanne, quod tam brevi spatio defevit in Te hæc tempestas. Vides enim, non meritis Tuis parci, sed Stomacho Tuo qui *amarum veritatis cibum*, qualis ex culina secessus Albipolitani depromitur, concoquere nequeat.

In Bœcler.

Tum & festinandum erat; quo rabies maior urfit. Nova enim & nemini visa aut comperta de Bœclero tradere instituit Judex Maniacus. Subodoratur sagacitate plusquam caninâ, ex Museo ejus *rerum civilium judicium* colligi posse. Quid ait Criticus? judicium de rebus civilibus sibi unum sumere, & aliquid tamen concedere alteri, non est ex majestate tribunalis censorii. Tum aliter utique sensit, quam Bœclerus. hic enim rerum vere actarum & dictarum in Museis incomparabilibus, magis extra quam intra Germaniam, historiam se inchoasse in Museo planis disertisque verbis testatus est; minime sibi in alios judicium sumsisse. qua de re tam non possunt dubitare illi, qui aliquam literarum & literatorum notitiam habent, quam hæc, & omnem hominum rerumque statum ignorant, ita *ἐκ τῶν μάλιστα σοφίας,*



*copias*, quorum Schurzfleischius hodie agnoscit. Et tamen ex hoc mendacio (*Bœclerus sibi in alios iudicium sumsit in Museo*) tanquam ex facili nascitur argumentum, quod tum quoque calumniosissimum esset, etiamsi Bœclerus sibi sumisset in alios iudicium: Ergo Schurzfleischio, homini somnatori, Criticorum furiosissimo, licet in Bœclerum mendacia, convitia, iniurias emovere. In qua republica ita argumentari licet, illa perdidit vera rerum vocabula & officia, oportet. Hem; si vis nebulonis nomen evadere, ostende ubi Bœclerus plus uni Grotio, quam omnibus Salmasis, plus uni Forstnero, quam omnibus Lipsiis Gruterisq; vindicavit. An Bœclero, diversissima studia & laudes, omnia idem pulvis sunt? An istot nominibus distinguenda elogia, more phrenetici tribunalis, in unam colluviem conjicit? Quis hoc unquam ex eo audivit? quis scribi pingive vidit? Quam risisset vir suo merito incomparabilis, Forstnerus, si se Lipsiis & Gruteris præponi compararive audivisset? Nam quid de *Literatoribus* hisce & *Criticis*, Asinus prætor in Parnasso infamijudicet, defensoribus horum facinorum expediendum relinqui par est. Componite togam, & parate assem. Novum Bœcleri crimen: *quæ in Tacitum scripsit, plus compositæ orationis, quam spiritus habent.* Legi ea, & cum olim inter auditores ejus censeari gauderem, & postquam civilibus officiis negotiisque non perfunctorie sum adhibitus. Sed deprehendisse me periodum, in qua plus verborum, quam rerum esset, mentirer cum Schurzfleischio, si dicerem. Sed heros noster *Spiritum* desiderat, non intelligo, quid velit; ne suspicor quidem; nisi spiritum vertiginis, quo agitari sine intervallo se sentit, hic frustra quæsit. Nimis autem magnum mihi desiderium iniecit, videndi propediem, *commentarios Schurzfleischij in Tacitum plus spiritus, quam compositæ orationis habentes*, ne mundus frustretur specimine ejus formæ, quam novus artifex animo concepit. Estne & illud crimen, quod Forstnero se fatetur inferiorem Bœclerus? ò probum crimen. Tam, viro bono & prudendi stultum videtur, se alteri præponere, quam injuriosum esset, cum malis & stultis in comparationem eum adduci. Omnis humanitatis expers est, qui in scirpo nodum quæritat, & pro crimine iterum habet, *Mensuram Forstnerianam non implevisse.* Nam hic iudex, furore plusquam Apollineo concitatus, *mensuras ingeniorum, prudentiæ, studiorum*, satis pro imperio dispensat. Et tamen perspicax Minerva, quæ cerebellum iudicis Parnassici insedit, in aurem, vicino flexu insufurravit hanc sapientiam. Mercurius etiam præterea, mendaciorum venditori Schurzfleischio in aurem dixit; *Bœclerum sæpe in rebus morum frigide scribere, definire controversias juris naturalis & gentium perplexe, decidere dubitanter.* Orator est ex iudice, qui Mercurii personam sumit, ut animadverto; ita confertim & uno impetu cogit suas calumnias in aciem. Brevis tamen & compendiosus. Multa possunt dici uno spiritu: quæ probari aut ostendi

molestum, nec eo, cui sufficit dicere, ego dico, satis dignum esset. Adde quod expeditissima hæc est ratio, de omnibus judicandi, omnes contemnendi, omnibus se præponendi; si dicuntur, quæcunque in infamem buccam veniunt, nihil probatur. Quasi si quis diceret, Zieglerus, de quo tamen bene sentiunt, quibus calumniator eum ut caput Medusæ obvertit; fecit hoc & hoc; scripsit ita vel ita. Securus enim ex arte Schurzfleischiana esset, qui ex rumore & libidine animi quævis diceret, nihil probaret. Sed jam asinus concire intendit asinorum gregem, ut quo numerosior est malitia, eo munitior sit. Tales enim se auricularum motu produnt, quos *familiares Bœcleri* narrat, imo fingit impostor. Similes hîc habent labra lactucas, si usquam. Hi retulerunt: *Bœclerum magis ex commentarijs, quam ex ingenio sapere.* O Arcadica pecora! nam qui in scriptis Bœcleri non videt ingenium, ille nec habet ingenium, nec omnino, quid sit ingenium, novit. Nemo ex familiaribus Bœcleri ita desipit, quin sciat, talia narrantes aut credentes, & ex ingenio & ex commentarijs, more Schurzfleischiko (venia sit turpitudini verbi) desipere. Est genus quoddam hominum, qui diutius in quibusdam Academijs versati, & nescio quo vento in sublime lati, antequam ullius scientiæ gustum percepissent, multo minus morum rusticitatem & absurditatem ulla ex parte exuissent, mox novitiorum auribus arreptentes, de subito cælum attingunt vertice, & tumore suarum sibi persuasione magis inflantur, quam rana, quæ rumpi, quam magnum animal non imitari maluit. cum illo maligno tumore plerumq; jungitur phrenesis, & ex hac mania, & ex mania furor, omnes homines natos calumniari certus & pertinax, in primis Academicos doctores, quibus non sine causa infesti sunt: quod statim ut eos aspexerunt, se superiores esse, sive in speculo Philosophico viderunt, sive in Parnasso stygio somniarunt, seque Apollinis, Minervæ, Mercurij fratres & Secretarios esse delirarunt, illa sine nomine omnium nominum probra & dedecora. Non est brevis paginæ, hanc Academiarum pestem describere. Manebit sua Nemesis eos, qui infamiam seculi & omnium bonorum injurias, fovendis his prodigijs accumulavit. Schurzfleischium certe inter hos coryphadum esse, vix quisquam dubitabit. Cujus narratores (sive narratorum fictor) pergunt: *Bœclerum præsentia quoq; laudes & famam longo tempore collectam plus semel minuisse.* Obscura calumnia; quam non intelligo. Et si quis interrogaret, *ubi & quomodo?* responderi utique audiremus: à regulis methodi Schurzfleischicæ, quas mox novus scholarum rector, dictatorio more promulgare decrevit, dissidere tales interrogationes. nihil enim probare, omnia decernere, dictatorium esse. Si tamen Apollo ὁ λόγος casum formare permetteret, quod Glossa assidue, non tamen semper æque feliciter facit, puto hunc esse casum: Vivebat in Aula Ducis Florentini vir doctissimus, & Magno Principi suo in primis charus, M. quem & ipse

visu.

visu audituque venerabilem cognovi, nec ullius boni sanive hominis dissen-  
sum circa laudes meritas unquam percepi. Sed adventabat homo, ab ele-  
gantia & doctrina proscriptus exul, utriusque tamen nomina, sicut larvam  
vultui, obduci posse ratus, qui, me admonente ad salutationem tanti viri,  
admissus est. Stetit & obstrupuit; non admiratione, quæ doctis tantum  
convenit; sed ut sibi videbatur, contemptu. Non enim fastum, non super-  
cilia, non inania, sed ingenuam optimarumque rerum conscientia innutri-  
tam mentem fortuna ipsi obtulerat. Nec fefellit vanitas hominis, melio-  
ribus assuetus viri aures. Sermones miscere volebat, sed adeo ab omni sana  
ratione, abhorrentes, ut posset peregrinus ille peregrinator de Apolline  
Florentino vere queri:

*Ille nihil, nec me quarentem vana moratur.*

Cum exiremus Bibliotheca, ille elegantissimus comes meus objurgatorio  
vultu, quid mihi tantopere laudabas, inquit, hunc virum; qui nihil sapit,  
nihil splendet, nihil declamat? Respondebam: ego gratulor mihi de no-  
titia tanti viri; & sentio cum tota Italia, Galliaque, aliisque nationibus,  
hunc virum esse inter insignes quoque insignem. Non fefelli Te, sed Tu te  
fefellisti. Sed illa in Italia acciderint. quid ad Schurzfleischium, &  
Schurzfleischii familiares? Cum ad hunc ibitur, tum eminebit in tribunali  
Critico furioso, & colubris tædisque furiarum horribilis, tabula pædagogicâ,  
inscriptum sibi, manu pueri coricæi præferet elogium, authore *Danjele*  
*Heinsio* elegantissimo Poëta; cujus initium est:

*Inepte, vecors, impudens magistelle &c.*

Tum majusculis literis subnotatum legetur: AUGET PRÆSENTIA  
FAMAM. *Publicis & alienis negotijs se immiscuisse Bæclerum*, tam est falsum,  
quam verissimum, Schurzfleischium ex mera & infami πολυπραγμοσύνη aliena  
attrectare, & tum Principibus maximis, tum eorum ministris injuriam fa-  
cere. Noscent igitur imposteros Principes, se Furorem Criticum Schurz-  
fleischij effugere non posse, quo minus adhibuisse dicantur suis negotiis ho-  
mines *invis parum versatos*. nam hæc inquisitio ad rectorem Corbacensem  
spectat. De cætero pronum est omnibus cognoscere maximam hominis  
impudentissimi imperitiam. Semper in furioso Parnasso, etiam hæc, fu-  
riosè somniat: Bæclerum, nulla suscepti rite muneris, nulla mandati  
Principalis religione adactum, sed sponte & temere, ardelionatu Schurz-  
fleischico, *publicis negotijs se*, ut sycophanta loquitur, *immiscuisse*. Somniat  
iterum seu delirat: *Bæclerum jus faciendi homines proprios defendisse: & li-*  
*brum, quo hoc fecerit*, in margine annotat. Ecquid pudet eos (si qui sunt,  
quod dubito) talis impudentiæ, qui calumniatori patrociniū præstent:  
cum ea mentitur, quæ contrario se modo habere, notum publice omnibus  
confessumque est? An is, qui Principis sui mandatu, non id, quod mendax  
somnia-

83 (17) 23

somniator per crassissimam ignorantiam fingit, sed quod in causâ erat, scribit, meretur aut mereri potest *Politicorum* (nisi illi ex Parnasso infami intelligentur) *odium*? An apud *repurgatæ religioni addictos* *offensa*, *conflatur maxima*, si quis jus faciendi homines proprios defendit? Salva res est. nihil hoc ad Bœclerum, qui ex hoc argumento gratiam sibi promittere potest & debet, eorum, quos in se irritasse dicitur. Si enim religioni repurgate repugnat, jus homines proprios faciendi defendere, Bœclerus in parte oppugnantium illud jus, ex imposito sibi, more rituque solenni, officio stetit. O vipera! itane disputationes de hominibus propriis, non privato cujusquam ausu, sed necessitate & autoritate publica susceptæ, in Albipolitano secessu, religioni huic aut illi ex libidine licentium addicuntur? Et Schurzfleischius, post reges maximos, in furioso Tribunali novus iudex sedet, novum Laudum promulgat? Hercules Tuam fidem! Pœnitentiam nemo Arbitrorum indixerit huic aut illi parti. Sed Schurzfleischius, quem suæ infamiæ adeo non pœnitet, ut ipsâ infamiâ delectari decreverit, *sperat* eos, qui nihil eorum, quæ Nebuloni in argumentum somnij venerunt, in animum admiserunt, *in posterum cautiore fore, & aliis aliena relicturos*. Singula verba, singula deliria: de quibus dictum. Bœclerus hoc monitorem eguit! monitorem sycophantâ; qui & veniam (si qua peti debet à Critico Furente) desperari jubet; terribili arcano prolato: *sed facta non possunt reddi infecta*. Ita profecto est: Schurzfleischius publicè infamem sycophantam egit. Nollent hoc factum, quicumque publicam honestatem amant, Sed facta infecta reddi non possunt. De *Argentinesibus certaminibus* quid deliret Schurzfleischius vester, quæso attendite, qui exemplum intelligitis. Quæ in extremo Germaniæ limide pridem sepulta sunt, in secessu Albipolitano, nulla publici privati que juris reverentiâ, vespilloni Schurzfleischio refodere licet. Quantâ *πολυπραγμοσύνης* nequitiâ! Attendite iterum, quid de *equalibus & superioribus* iudex Afinus decernat. Viri boni & docti, optant non modo æquales sed superiores habere quam plurimos. Sed, ô infamis Parnasse, tu de his rebus iudicem facis Midam? Schurzfleischicus est, qui merita & fata doctis partiatur? quo suo merito? quia rerum hominumque, præsertim in quos iudicium sibi sumit, ignarissimus, stultissime comparandi artificium novum & inauditum profitetur. Ita Bœclerû & Ziegleri omniumq; ut ait, *annotatorum* in Grotium scripta, sunt scilicet ejusdem instituti, ejusdem generis? nullum habet iudicium, qui ita iudicat. Ziegleri vicem doleas, si illum hujus iudicis & laudatoris non pudet pigetque. Nemo ejus meritis quicquam detractum cupit: laudanturque à nonnullis Theologica illa, quæ ad librum primum persecutus est. Sicut

nec

nec reliqua huius libri displicent; audiivi tamen viros non indoctos ita existimantes; intra non magnum dierum numerum, posse tales in Grotium Notas procudi. Sed per nos, sit quantumcunque velit: qui neminis gloriae invidemus, & in huius viri laudibus non parci unquam fuimus. An autem ad eas augendas pertineat, si Schurzfleischii injuriosa in tot præclaros viros malitia sub umbra ejus latere vulgo dicatur, nostri nolumus esse iudicii. Dies loquetur pro hominibus. De *Bæclero irritando*, non est quod somniet Schurzfleischius. an nebulones insaniant, parum ille putabit ad se pertinere. & male consultum esset studiis, si Schurzfleischius mereretur ab ipso refutari. Erunt qui hoc faciant, ipso ne manum quidem vertente.

Monzambano etiam blanditur infame caput. Causas igitur satis *In Mon-*  
 magnas habet ille, ut gratias agat Furori Critico, quod non plura desiderave- *zambano.*  
 rit in ejus scripto, *disertam etiam sine iudicio prudentiam* laudaverit. & cul-  
 pam *Saxonicae laudis neglecta*, & *exprobratarum rerum, quas non intelligit*, ex-  
 piare tandem discat, submittendo se subferulam Schurzfleischii, à quo sapere  
 discat, & à *Satyra abstinere*: quam soli ex rectori Corbaciensi scribere  
 licet, infano Apolline decernente, Minerva & Musis cerebrinis map-  
 pam mittentibus. *Controversiam de forma Imperij*, post Monzambani &  
 aliorum infelices conatus, Parnassus infamis Schurzfleischio deciden-  
 dam commisit, qui solus tantæ rei par est, *formulas ex schola*, præcipiti  
 insolentia neglectas, sapientia ex asse cum suo ingenio congruente sup-  
 pleturus: Simul *Schoockium* parum clementer castigaturus, ut & *Scripto-*  
*rem Eleutheropolitanum*: illum *impolitum, informem, & propter ariditatem*  
*tediosum lectu*; & *Scholam olentem & lacunas*, prodigium sapientiæ! Sunt-  
 ne in ceccesu Albipolitano, qui ita judicant, & nondum de Anticyris ad-  
 eundis cogitant? Eram nuper in concilio Legatorum, & viro-  
 rum illustrium: qui tam præclare de Scriptore Eleutheropolitano sentiebant &  
 loquebantur, quam turpiter hic Midas, ingeniosum & auriculatum ca-  
 put, confitiatur. Hercules Tuam fidem! expergiscere; & decimum  
 tertium Tibi laborem venisse, animadvertete. *Pacificum à Lapide cum Hippo-*  
*lito à Lapide confundi*, & descriptores hujus notari, absque exemplis &  
 testibus, mirum esset, nisi usitatum in Parnasso infami.

*Burgoldensis*, quia iterabit mox editionem suarum curarum, respon- *In Bur-*  
 dendi occasionem habebit, si tanti putabit: & forte de ambitione sua *Wür-*  
*tenbergica*, *Forstnerum alterum referendi*, aut in aula Ducali summum gradum,  
 dejectis quos Serenissimus Princeps hactenus eo nomine coli voluit, affe-

*Etandi*, aliquid narrabit. Hactenus enim Stutgardia, & Mombelgardia adeo hæc ignorata fuerunt, ut ne tenuis quidem famæ aura emanaverit; donec somnia ex infami Parnasso in mundum evolavere. In quibus demum & illud patuit: *Pufendorffium Holmiam nuper accitum esse.*

In Cyriac.  
Lentul.

*Cyriacus Lentulus*, ut audio, non tacebit. Quanquam nescio an vir bonus & doctus intelligat satis illa mysteria *συμπληρωμα* de Forstnero, Berneggero, Zieglero, Labbeo, Thaleo, Gronovio, Hornio, & quidem in  *censura Patrum*. Quæ cur huc illata sint, nemini licet hariolari, nisi qui in Parnasso infami somniaverit. Vellet tamen Cyriacum laudare, nisi statim ut melior cogitatio animum subit, pœnitundine ductus ad ingenium rediret. Sed quid de Berneggero insanit Criticus Furens? quos *centones* memorat? quid de scriptis Berneggeri legit? Arcanum Parnassi Schurzfleischici hic eliminandum est: de plerisque magnorum virorum scriptis, quos convitiatur, nihil omnino ita legit, ut intelligeret; paucissima vacillanti & cœcipienti per furorem oculo percurrit: & tamen judicat, censet, pronuntiat, Parnassi sententias consignat. Itane Parnasso infami Berneggerus cum *Asterio* (jungentur jam gryphes equis) *deridendus* videtur, & quidem *propter iniquam Pacis Pragensis censuram, rerumq; imperij imperitiam*. O nebulonem Schurzfleischium! Tantis per enim hoc nomine signandus veniet, donec edisserat apud Apollinis fami tribunal, ubi extet illa Berneggeri *iniqua Pacis Pragensis censura*. Nam quibus Berneggeriana scripta notissima sunt, se fatentur ignorare. Nisi forte in Parnasso infami extat speculum Magicum, exhibens formas, literas, sententias, quæ neminis hominis conspectum aut animum subierunt. Et nunc tempus erat puto, de Pace Pragensi differendi. Hercules Tuam fidem! An Albipolitano secessui hoc negotium datum est? Iterum testor vestram fidem, quicumq; illis locis ullam divini humanive juris intelligentiam habetis aut amatis; estne Berneggeri nomen, post merita quibus literatus orbis superbire consensu solet, dignum, quod tali tempore, tali loco, à tali sycophanta ludibrio habeatur? an Schurzfleischij Midæ, à communi sensu, & omnis publicæ rei ipsiusque Berneggeri notitia alienatum caput, tam horribiliter sapit, ut Berneggero *rerum Imperij imperitiam* objicere debeat?

In Rachel.

Parcite mirari, qui seculum prodigiis currere, non cogitatis. Etiam *nondum visa, nondum nata scripta* damnat canis iste. Sicut in *Rachelio* *ijsq; que in Grotium meditata is habet*, fieri, omnes vident. Non suffecit rabido calumniatori, eum *propter laudatum Boeclerum nauseâ* dignum decernere; & quasi *authoritate potius quam ratione vellet miti*, de eo e mentiri; nisi omnem ei docte scribendi facultatem abjudicaret, ducesq; ei affingeret, *parum fidos, anticipites, multos, cæcos*. Veritus profecto est, ne non pro stulto haberetur, dum virum tanta ingenij & eruditionis vi præditum, quem eo nomine nemo bonus & doctus hactenus non laudavit & æstimavit, putavit ab eo in periculum

lum famæ adduci posse, qui ab omnibus pro sycophanta indocto, nasutulo & temerario & habitus est ad hoc temporis, & habebitur imposterum. Schurzfleischius tenebrius, pædagogico furore tumultuans, contra Rachelium *In Mar-* ponetur, amicis veris Musis & familiare Apollini nomen; Marfyas contra *tin.* ipsum Apollinem? Possuntne reperiri tam lepida capita, quæ hunc ardelionem, nullius sanæ aut bonæ rectæque artis gnarum, judicem & censorem faciant virorum præstantissimorum, & à vanitate barbari moris imperitiæq; Schurzfleischicæ alienissimorum? In quibus *Martinij* nomen sine controversia ponendum est. rumpantur ut illa momo: *cui nondum vir est* (quanta impudentia.) *nondum Latinus.* Schurzfleischius Martinium eloquentiæ vulgaris mensura taxabit? Schurzfleischius, inquam, cujus infames chartæ merum ras, aut, si mavult, scholæ inficetioris tricas ineptiasque olent, si cum Martinij studijs conferantur.

Mirum interim, quod *Pufendorffio*, Modimperator Parnassicus, partiri *In Pufen-* loca eruditis, & sive extollere, sive deprimere certus, eum præposuit. *dorf.* Ne placeat sibi tamen Pufendorffius hoc encomiaste; mox *plagij insimulatus* citra ambages: nam quod *ex Scania in Vplandiam translocatur* arbitrio mero domini Rectoris, parum interest. An ipse cum hoc moro potius sentiat, quam cum cæteris viris doctis *Elementa* sua juridica *Dissertationibus* suis longe anteferat, qui propiores sunt, resciscent. Sententiosus est interim Criticus infaniens in Pufendorffio: *satis laudatum esse, qui Regum Principumq; favore sit subnixus.* Sed quis à deliro expectet constantiam? Hoc decretum suum turpiter ipse invertit. Nihil hoc Berneggerum, nihil Bœclerum juvit, aquod Rhadamanthum furiosum. Quo majora sunt patrocinia Principum omni mundo venerabilium, quæ arcere hominum non plane insanorum insultus poterant, eo magis debacchari & contra tendere nisus est. Neq; enim Jupiter armigerum suum à fœda scarabæi injuriâ defendere potuit.

*Sprengeri* diligentia, pro se ipsa dicet testimonium: & censorem suum *In Spreng-* infra vulgi infimi fœces detrudet, ne diutius in Parnasso sibi somniare videatur. *ger.*

Viveres vero doctissime *Horni*: in cujus funere tantum jacturæ Mofæ fecerunt, quantum infamiæ Parnassus in secessu, Schurzfleischij flagitijs adiit. nunc tumulum tuum rabiosos canes permingere, non feret, sat Scio, amicorum pietas. Alit magna & recta ingenia Dania, altera Tibi Patria; quæ non obliviscentur Tuorum meritorum, eaque à monstrorum sævitiâ vindicabunt. *In Io. Frid. Horn.*

At Te, *Iacobe Le Bleu*, nunquam sine laude à viris maximis audivi nominari. Neque ipsa calumnia, quæ ut turpius loqueretur, Schurzfleischij ore loqui voluit, negare potuit, quin *ita esses linguis exteris imbutus, ut non possit melius quis exterus* (nam hæc verba cum magna superstitione arcanae elegantia retineri debent) & tamen animal non aliter, quam pediculus in chartâ solet, peregrinatum, optat imo jubet, *tersus à Te paulo Italica & Gal-* *lica*

*lica Latina reddi.* Nondum erubescitis, secessus Albipolitani incolæ, acco-  
læ? Si non vestra, profecto aliorum non interest.

In Georg.  
Horn.

Ad *Georgium Hornium* venit totus Parnassus, in cerebro aut calcaneo  
Schurzfleischii coactus; sed sub titulo: *Judicium Parnassi.* de quo? de  
phrenetico. quis narrat? phreneticorum alpha, Schurzfleischius. Sa-  
tis ne excusatus est Hornius? ita videtur.  $\delta$  tempora,  $\delta$  flagitia!

In Spener.

Inter viros optimos doctissimosque qui *Spenerum* non reponit, is  
nec virtutis, nec doctrinæ umbram habet. Sed, quid Criticus Furens de  
hoc Germaniæ ornamento? τῶν πολυπραγμόνων sceleratissimus, πολυπραγ-  
μοσύνης & ipsum, & ne tanta res in solitudine gereretur, *Wagnerum*, gran-  
de & laudatum nomen, arcessit. Tunc qui ne nomen quidem *judicij* intel-  
ligis, & non nisi per somnium fatuum, aut furorem maniacum judicare seu  
delirare potes, ἀκρισίαν hujus viri accusas? & nauseas? sicut desperati sto-  
machi ad optimos cibos? Nondum satis est. *Ius Speneri Heraldicum Gal-  
lica sagacitati aut risum movet, aut bilem.* Tiresias loquitur, audite. *Ius  
Heraldicum* (notate pueri diligenter omnia verba) quod nondum prodiit,  
Pseudomantes judicat, ex diabolica hæud dubie præscientiâ, & damnat.  
Sed quid est tandem, Tiresia, quod *Gallis risum & bilem* res valde diversas  
*movere* queat? Suntne Galli alieni ab his studiis? nemo magis in iis ela-  
boravit. Ridebunt & indignabuntur sua ipsi inventa? Quis hoc credat,  
qui Gallos, qui Gallorum solertiam, qui candorem noverit? de his ergo  
ut securus sit Spenerus, admonendus est. Habet propiorem adversari-  
um Schurzfleischium. hic est, qui gratiam Spenero referre cupit, ob *In-  
signia Serenissimæ Domus Saxonicæ* nec inerudite nec vulgariter explicata.  
Ægre tulit Tribunalis furiosi infessor, quod causa ad aulas Serenissimo-  
rum Principum pertinens, non est ad Pædagogicum judicium remissa. hinc  
illæ lachrimæ seu furia.

In Pop-  
ping &  
Heromont.

Non mirari debet post hæc vel *Poppingius* vel *Heromontanus*, magis  
tamen hic, quam ille, quod vix imo ne quidem visa damnantur. *Cen-  
sorium hoc tribunal*, quod ab initio *Satyricum* dixerat, neque modum neque  
terminos novit. Placet Nebuloni sua nequitia: neque desistet, donec  
Apollo Furiosus, & Mercurius Nequam, & Musæ Fatuæ, & Minerva  
Cerebrina cum Parnasso infami pessum iverint. Aut his monstris,  
aut honestati publicæ pessum eundum est. Hercules Tuam fidem! Si es,  
quod esse semper voluisti, cogita, nuspiam justius rectiusque monstra do-  
mari, quam si viris bonis doctisque adversus nefarios sycophantas, & pæ-  
dagogicum furorem, jus dicatur: omni meliori modo &c.

EPII





EPISTOLA II.

*Ex Gallico Latinè conversa ab ipso auctore.*

**P**ollicitus Tibi nuper sum, *Nobilissime Domine*, me, ubi plus otii nactus essem, de *judiciis ex Parnasso Sarckmasiano* non ita pridem in publicum sparsis, meam Tibi sententiam paulo prolixius perscripturum. Jamque calamum sumseram, ut fidem Tibi datam repræsentarem; cum redditæ mihi sunt literæ Tuæ, quibus denuo promissum urges, & simul quo loco Ipse scriptum tam perniciosi exempli collocandum habendumque censeas, usitato Tibi candore declaras: Itaque Tuo partim invitatus hortatu, qui mihi loco mandati colitur; partim provocatus exemplo, quod venerari nunquam desinam; partim confirmatus judicio, cujus apud me maxima semper auctoritas erit; minus dubitavi hoc institutum ingredi: in quo, si non eruditione, attamen obsequii & reciproci officii promptitudine expectationi Tuæ essem satisfactorus.

Et de *Authore* quidem *horum judiciorum* quæ scribis, ea plerumque partem licuit ex ipso vere famoso libello colligere: atque, tanquam ex spuma & dente, rabiosum canem deprehendere. Licet enim nomen suum tam infelici deflexu occultet, ut, qui non noverunt hominem, facilius *lanionem* aliquem aut *carnificem*, quam *Schurz fleischium* sub *Sarckmasio* latere, sint suspicaturi: De cætero tamen omnes pene syllabæ, manifesto descriptum à Te magistellum produnt. Tam aperte is in scripto suo passim ostendit, se facere id, quod Phreneticis in usu est, & furorem ex dolore amissi officii contractum, assidua recordatione pristinae dignitatis vel alere, vel solari. Dum pro Sceptro Scholastico, quod in *Corbaciensi Gymnasio* parum feliciter cum tractasse refers, novos ubique fasces somniat, nova sibi tribunalia erigit, ut ad ea doctissimos quosque viros tanquam puerorum gregem cogeret, & ibi censoria virgula, quam præclarus artifex in discipulorum terga expedire didicerat, ignominiose notaret. Ne quid ipsi scilicet ex antea acto vitæ consuetudine periret. Atque cum hac insania tamen tam impudens est, ut non vereatur subinde, flagitium prostituta tam turpiter alienæ famæ attenuare, obtegere calumnias, colorare convitia, quibus totæ scatent ejus paginae, sceleri auctoritatem, patrocinium

d nequi-

nequitia parare atque prætere. Virorum omni politioris eruditionis gloria conspicuorum laudes veenato dente arrodere; ipsorum vitam & scripta, per omne opprobrii genus quod quidem ex literarum tractatione quæri potest, publice traducere, totus ipsi scopus, totum artificium est. Et inter hæc tamen *livorem se odisse, clamitat, detestari injuriam, abominari calumnias,* quasi æque facili negotio abscondi crimina possent, & perpetrari. *Studium veritatis, liberalis judicii curam, modestiam* denique simulat; Sed ut mentiendi libidini, maledicendi pruritui, insolentia, impudentia frenos laxet. In bene meritorum & innocentium infamiam, sine testibus, sine judiciis certis, varia crimina confingit, & spargit in publicum; atque *hæc facere* quærit, *quæ lex prohibeat, quæ ratio vetet?* Ipsum tandem *Parnassum* improbitatis suæ asylum facit, & in sapientia omnisque sanctioris disciplinae domicilio, malitia suæ diverticulum, receptaculum sceleribus, improbitati latebram quærit. Qua ex re plusquam meritis esse omnium Musarum reprehensionem incurrere, si hoc ageret tam augustus confessus, ut ad quorumvis Magistellorum vesaniam turbaretur; quorum deliria potissimum hac ulciscitur pœna, quod ea infra suam reprehensionem arbitratur. Eadem opinor mens erit *Conringio, Bæclero,* & in quos de cætero suam rabiem iste canis evomit. Qui manum ob id non vertent, an ab hoc nequam, cui sola libido est male loqui, vituperium ferant, vel laudem. Præterquam enim, quod in famoso libello satius est, adverso, quam propitio sycophantæ judicio notari: Iste agyrta insuper suas reprehensiones tam apertis mendaciis calumniæ manifestas facit, elogia vero sua, tam perversâ laudandi ratione corrumpit; ut nemo apud cordatiores, vel ab illis, famæ suæ periculum metuere debeat, vel ab his aliud possit quam opprobrium expectare. Quæ enim unquam honesta, vel ingenua mens non indigne tulit, cum detrimento alienæ existimationis inclarescere? & hoc tamen præcipuum est, quod noster censor toto scripto facit; ut iniquissimis, & sæpe plusquam ineptis comparationibus, maximos viros, sed in diversis studiorum generibus nobilitatos, unum ad alterius probrum celebret. Specimina hujus rei ante omnium oculos exposita sunt. Sed si tamen sub exemplo maxime conspicuo loquendum est; quid hac comparatione indignius, qua meritissimas *Forstneri* laudes, neminique magis, quam *Bæclero* celebratas, tam improbe cavillatur, ut in *Bæcleri* contemptum detorqueat. Si quæras, quo consilio, quave auctoritate? tam impudens est, ut ipsum denuo *Bæclerum,* contra quem tamen in primis istæ machinæ dirigebantur, audeat pro suis partibus nominare: utpote qui tali judicandi modo ipse in *Museo* exemplum fecerit; dum plus uni *Grotio,* quam omnibus *Salmasius;* plus uni *Forstnero,* quam omnibus *Gruteris Lipsiisque*  
vindi-

*vindicat.* Inducor prorsus hoc tam insolenti mendacio nequissimi Magistelli, ut credam eum altioribus prorsus & peculiaribus furiis agitatum, contra *Bœclerum* insurrexisse. in quo censendo præ cœca maledicendi rabie adeo non mentem tantum sed oculos amisit. Etsi enim in *musæo* legisset, quod vertigine abreptus legisse se nuspiam scriptum fingit; An non satis aperte *Bœclerus* aliquoties publice testatus & professus est non sua, sed aliorum judicia, in Museo consignari? Quod factum esse, si ignorat censor, stupidus est; si sciens dissimulat, perversus; si, quod vero similis videtur, perversitatem cum stupore miscuit, monstrum. Et certe mox clarius hujus mixturæ specimen præbet; dum in æstimanda *Bœcleri in Grotium commentatione*, & extolendis *Zieglerianis* in idem opus *notis*, nihil invenire potuit, quod *Ziegleri* laudibus adderet, nisi prius id *Bœclero* detraxisset. Ridiculus adulator! putavit hinc *Zieglerianis notis* pretium fore, si constaret, illas non posse cum *Bœcleri* curis contendere; quam si *Bœclero* prius adimatur, quicquid ejus institutum & laborem, ipsius maledicentiæ confessione, supra ceteros in *Grotium* commentatores evehit. Hinc excludendum fuit ab eo *studium antiquitatis, elegantia styli, peritia historiarum.* Quo exemplo inductus, si in *Zieglero* quoque à *nervosa scribendi brevitate*, & *insigni divinarum humanarumque rerum notitia* recessisset, procul dubio hic etiam non ad *Bœclerianam* mensuram, sed ad turbam recideret, notisque suis à tam turpi præconio, tanquam ab asini bucina, frustra licitatores expectaret. Eidem farinae sunt, non reliquæ tantum importunissimæ comparationes virorum dissimillimis studiis operatorum, sed insuper illa monstra judiciorum, quibus non tam de aliorum scriptis judicat, quam suam in judicando barbariem manifestat: dum exactos ad stolidissimam cerebri sui normam viros eruditos, exinde secure damnat. *Conringius* ipsi *αυπεργύμων* est: quis miretur? æstimaverat quippe *Conringium Ludimagister* ex ingenii sui angustiis, quarum ambitus, præter exiguam scholasticarum nugarum supellectilem, nihil amplectitur. Itaque, cum ad cerebrum *Sarckmasii* omnis scientia res esset non magis pertinens, quam ad asinum lyra, *Conringium* quoque ab eruditionis reliquæ tractatu, tanquam à re nihil ad eum pertinente, putavit Legibus coercendum. In *Bœcleri curis ad Tacitum*, spiritum desiderat: prorsus ad magistelli genium congrue: quem enim spiritum nuspiam deprehenderet, sine mente, sine judicio, sine spiritu stipes? *Alibi* frigiditatem in rebus; *alibi* ariditatem in dictione damnat: quid enim utcumque summo, tanto tamen calore adeo pertinaciter incalesceret, ut non ad frigidissimas nives tam febriculosi judicii totum congeletur? Quid nares scholastico pulvere atque fœtore oppletæ aliud ubicunque olfacerent, quam scholam & lacunus?



nus? *Alibi* honestam nominis & famæ curam pro ambitione traducit, solidioris scientiæ laudabilem tenacitatem pro superstitione exagitat: quoniam ipse gloriam putaverat, inter asinorum greges, tanquam ignavum & excors pecus, superstitem famæ suæ vitam agere. *Alibi* denique passim furorem, quem ipse intra sua præcordia conceperat, aliis imputat: ut palam fieret, cum jam ad ultimum insanix gradum perductum, in imaginatione prodigiali sibi ipsi occurrere, & quicquid ipse delirat, ejus sibi in aliis speciem objicere. Hinc *Tabori* & *Malcomesio* meliorem precatur mentem, qua caret ipse: *Schoockio* contractam ex morbo infirmitatem ingenii objicit, ipse valido corpore insapiens: *Hornii* phrenesin veretur, ipse ut rabiosus non esse tantum, sed haberetur, summis viribus annixus. Quod non eò scribo, ut culpam tanquam absque ratione factum: quis unquam enim ab insano rationem requisivit? Sed ut origo constet furiosæ impudentiæ, qua *ensor* iste nequam in ea facinora, ob quæ alios criminatur, non veretur primus exemplo suo ruere. Vix *Conringio* *αδολυπραγμοσύνην* impegerat, & in legem aliis dictam statim sine fronte delinquit, dum se litis alienæ non rogatus participem facit, & voluntarius judex lectus ipse à se, alterâ tantum, imo si quid conjicio, neutra parte auditâ, contra *Conringium* sententiam pronuntiat. *Bæclerum* humanæ conditionis admonet, cum ipse calumniandi rabie pridem hominem exisset. Invehitur in plagiariorum mores; & ipse interim ex *Schoockio*, *Scriptore Elutheropolitano*, *Pacifico à Lapide*, quorum pluresque modo acerbissime carpsit, totum de *Monzambano* judicium secure describit. *Monzambano* *Ipsi Satyram, temerarium consilium, præcipitatum judicium* vitio vertit, in quibus rebus ipse nomen quærit & famam. *Burgoldensem audacia, intempestiva scribendi libertatis, dictatoria animadversionis*, dotium sibi ipsi propriarum, insimulat: & ipse interim summe temerarium audaciæ exemplum designat, quo non *Burgoldensitantum*, sed *Hornio*, & aliis passim, in suo cerebro fata vitæque rationem præseribit, & ad suam libidinem illorum vota vel adstringit, vel exagitat. *Lentulum* docere instituit, quæ *Theologi*, quæ *Politici munia sint*, cum ipse, *famosi libelli author*, declaret, se non à *Theologi tantum & Politici*, sed ab omni honesti viri officio dudum degenerasse. *Rachelium infirmi judicii, & in Tacito versati parum hominis argumentum præbuisse*, calumniatur, quod *Ciceronem Tacito anteposisset*: & eadem opera ipse doctis argumentum præbet, non infirmi, sed nullius judicii, & nec in *Cicerone*, nec in *Tacito* ullatenus versari stipitis, quòd in iis *Ciceroni Tacitum* anteponeat, ad quorum usum *Ciceronem Rachelius* adeo eminenter commendaverat. A quo stupore vix respiravit, cum ad notandos ævi & juventutis corruptæ mores, tam alto supercilio accingitur, ut *Catonem* tecum loqui diceres, non

Schurz-

*Schwarzfleischium*: nisi hoc tam aperto perversæ indolis pignore ostendisset, sibi semper inde ab infantia propositum fuisse, non *ad controversias*, sed ad infelicissimas artes calumniandi *properare*: non *ineptias discere*; sed confingendis & disseminandis mendaciis ingenium atque industriam exercere: *litteras humaniores non spernere, non negligere*; sed convitiis, furore, rabie, ipsis denique, quod gravissimum est, vitæ suæ probris insectari. Hinc *Martinium*, *inficetus in Tragedia comicus*, cavillatur, *in refutando scripto Gallico, Gallica lingua peritiam jactasse*; & ipse non veretur alibi, versiones ex Gallico & Italico idiomate factas, censurâ suâ damnare: Dignus, qui *de ubertate Italica & suavitate Romana*, forte non Italica, judicium ferat, si Italicæ linguæ rudis est; sin peritus, quin prospicit, ne Italus Pseudogermanum expellat aut excutiat. *Puffendorffium Regum & Principum favore subnixum* tateatur, & ob id satis laudatum; & tamen eum non cunctatur turpissimo plagii crimine infamare: quod eo minus mirum est, quoniam jam antea palam fecerat, quam Imperatorii, Regii, Principalis favoris rationem haberet, quando *Bœclerum, Conringium & alios* eo favore subnixos, non passus tamen est, tam illustri præsidio à moribus suis, *canis virulentus*, tutos esse. Hoc tam infame institutum deinceps quoque tot tamque manifesto probrosis exemplis persequitur, ut & Tuo, **NOBILISSIME DOMINE**, & meo simul otio videri possim abuti, si diutius iis recensendis insisterem. Et insuper, quanquam in hoc insolentiæ genere stolidi perversitas maledici calumniatoris non habeat, quo crescat amplius; longe tamen ab ejus in mentiendo impudentia, & infamandi per mendacia doctorum virorum scripta vitamque libidine vincitur. Dummodo impudenter effutiat, quæ malitiose confinxit, jam existimationis suæ securus est; de qua cum nihil haberet, quod perderet, omnia se putavit sine famæ detrimento facere posse. Legat quis illa solum mendacia quibus aggressus est *Bœcleri* famam lacerare, tam cruda tamque crassa, ut palpare queat, qui modo album novit à nigro discernere; si dissimilem à calumniatore animum gerit, facile deprehendit, quæ in cæteris, manifestæ fraudis convicto, fides adhibenda sit. Toto animo detestabitur effrenem audaciam sycophantæ, tam fœde Lectoris oculis abuti constituentis, quam turpiter ipsius stupore fuerant abusi, qui se *Bœcleri* familiares mentiebantur. Quorum relatus illi satis est, ut contra propriam conscientiam latret: *Bœclerum ex commentariis magis quam ingenio sapere, famamque longo tempore collectam plus semel presentia minuisse*. Quasi styli nitor, tersa eloquentia, divina judicii vis, & illæ tot reliquæ, tam eximiæ dotes, quas ne ipsum quidem os calumniæ *Bœclero* detrahare ausum est, res essent, quæ pro sapientia commentariis adstricta contemni queat; nisi ab iis, qui cum censore nequam ex ingenio

simul & commentariis desipiunt: vel quæ partam illustribus meritis famam a-  
 pud quenquam patiuntur præsentia minui; nisi apud similes *Schurz* & *fleischio*  
 fumorum captatores & venundatores, qui à viris magnis paria illorum famæ  
 supercilia expectant: ubi externum fucum, quo ipsi consueverunt in cautiore-  
 bus imponere, non deprehendunt, argumentum sibi præbitum opinantur &  
 jus carpendi famam eruditorum; parum sua interesse arbitrantium, quo loco,  
 quove pretio in ardelionum conciliis habeantur. Nec enim in alia schola,  
 quam in agyrtarum gregibus, eruditos credere possum illos Politicos, qui cui-  
 quam vitio vertunt, in publicis negotiis tractandis non, desertis partium sua-  
 rum castris studiisque, transfugam aut prævaricatorem agisse: qui obsequia  
 Principibus suis debita, inter aliena & aliis relinquenda numerant: qui ex eo,  
 quod alii dextre officio suo functi sunt, vel offenduntur ipsi, vel cuiquam re-  
 purgatæ religioni addictorum offensam contractam suspicantur, in re nihil ad  
 religionem attinente. Hi, nemine vel mirante, vel indignante, crediderint &  
 convitentur vicissim, *Bæclerum negotiis publicis in quibus parum fuerit versa-*  
*tus, se immiscuisse*: quos satis est in conscientia summorum Principum menda-  
 cii convinci, qui licitum sibi putaverunt, non interrogatis *Parnassi Sarckma-*  
*siani* suffragiis, *Bæcleri* vel operam sibi addicere vel consiliis uti. Hi sibi & aliis  
 palpum conentur obtrudere, ut credant & persuadeant invicem, *in Vindicis*  
*Vindicatis jus priorum hominum male defendi*: in quibus manifesto prorsus  
 oppugnatur. Quis post hoc exemplum dubitaverit, quin idem illi sit eventu-  
 rum; si consignare atque ostendere loca teneatur, *quibus Bæclerus res morum*  
*tractet frigide, controversias juris naturalis & gentium definiat perplexe, decidat*  
*dubitanter*: Quibus *Berneggerus* (cujus cineres infaustus bubo sepulchro  
 erutos laceffit) *iniquæ Pacis Pragensis censura*, *rerumque Imperii imperitiæ se*  
*reum fecerit*: Quibus *Rachelius ambitum juris gentium in unius cerebrum co-*  
*gere, & auctoritate potius quam ratione niti voluerit*: decidet impostori larva, si  
 vagari cū discrimine alienæ existimationis prohibeatur, & adigatur certū spe-  
 cialiter dicere, quibus indiciis, quibus momētis, quibus testibus innixus; *Puf-*  
*fendorfiū, Sprengerum, Hornium* plagii & compilatorū alienorum scriniorū,  
 alios aliorum criminū postulare tanta confidentia ausus sit. At enim, quis hoc  
 ab obtrectatore vel exigat, vel extorqueat, ut ullius candoris de se suspicio-  
 nem præbeat? Non est Sycophantarum iste mos, crimen desiderare, rem ut  
 definiant, nomine ut notent, argumento probent, teste confirment: cum  
 nihil habeant propositi præter contumeliam. Nec maledico mendaci deside-  
 rium est, ad veritatem viam parare, sed obstruere; non auferre mendacia,  
 sed colorare; non purgare flagitia, sed novis flagitiis velare, aliosque in so-  
 cietate

cietatem vel præsidium scelerum rapere. Quis retulit infami nebuloni, *Jus Heraldicum Speneri Gallica sagacitati aut risum movere aut bilem?* An in Gallia putat idem, quod in detestabili Parnasso suo, agi, ut opera nondum in publicum edita nefario præjudicio damnentur, sicut ipse *Rachelii animadversiones in Grotium*, quarum nihil prorsus, & *Heromontani* librum, cujus nihil præter titulum vidit, improbissimo ausu damnavit. An non satis in Gallicum nomen injuriæ fuerat, *Autores Diarii Eruditorum* in consortium sceleris traxisse, & ab illorum exemplo auctoritatem suæ libidini esse mutuatum? Quos ipsos certum est institutum suum reprobaturos, ubi viderint, iter quod innoxio proposito, cordatis subsidiis, auctoritate publica, ad penetrare rarioris sapientiæ aperuerant, privato ausu, sola barbarie comite, armatum audaciâ, impudentiâ galeatum hunc alienæ famæ sicarium turpi æmulatione velut latrocinio infestare. Nec enim aliter de damnato sanctissimis Legibus, & omni honestiore disciplinâ, famosi libelli conatu pronuntiari potest; quin quamdiu genuina rerum vocabula durabunt, viri cordati pro convitiis, maledictis, calumniis abominentur, quæcunque, ad lædendam injuriâ bene meritorum & innocentium famam, conficta mendacia in publicum spargentur. Quorum cum improbi magistelli paginae prorsus manifestæ sint; quid ab hoc monstro deinceps expectari fas sit, planum est judicare. Minatur id virulentæ linguæ venenum ulterius iis, quos reluctanti ejus furori turbulenta festinatio ad tempus subduxit. Non enim potest ea natura, quæ semel pudori nuntium misit, uno scelere esse contenta: necesse est, semper aliquid ejusmodi moliat: necesse est in simili audacia furoreque versetur. Utcunque monstruosus impostherum ab hac vipera foetus prodierit, expectatione minor erit, quam hoc primo specimine de portentosa malignitatis ingenio suo concitavit. Convitietur denuo, maledicat, calumniatur, bonos contumeliis, doctos probris, innocentes criminationibus incesset: Id ego non mirabor illum nebulonem facere; quid enim aliud faciat sycophanta? Illud potius mirabor, si viri in illis locis magis connivendo pati possint, tot clara nomina virorum de literis optime meritorum, impurissimi nebulonis calamo violari. An enim non sentiunt, furentes & violentos perditum profligatumque hominis impetus in ipsos quoque posse converti: à quibus quæ præsidia deinceps quenquam tutum præstabunt? postquam tam aperto exemplo proditum est, non innocentiam cuiquam, non summa merita, non testatum publice coronatorum capitum favorem, non ipsum denique mortis asylum, contra rabiosos morsus virulentæ belluæ, satis firmum munimentum præstitisse. Facile quidem emittitur, facile excipitur calumnia: sed perniciose exempla  
 ple;

Ze 4330 QK

plerumque in eorum contumeliam erumpunt evaduntque, à quibus vel fo-  
ventur, vel amantur. Tanto majore cum ignominia, quod ne immeriti  
quidem has vices experiri videntur, qui structas bonorum famæ insidias,  
si non alia re, conniventibus tamen oculis aut vana malignaque credulitate  
promoverunt. Quorum studia quandoquidem scio quam generosa indigna-  
tione detesteris, Vir Nobilissime, injuria Tui candoris fuerit, si Tibi hoc  
meum judicium verbis probare laborem: quod postulanti perscribere Tibi  
debui, si porro volui is esse, quem probatus inter amicos candor Tuo im-  
posterum favori commendet. &c. Dab. Lugduni d. 10. Mart. 1669.

N. A. T.

reverenter deditus

O. A. S.

F I N I S.

1017 QK





Q. 271, 39 A

X 212

e  
+330

PETRI NA  
IVDIO

IVDI

IN NOVISSIMIS  
PRUDENTIÆ

EXERCE

EVB. THE. S

ACCESSERUNT D

DEM S

COL

M



TIFFEN Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black